



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XVI. Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Gallus miraculorum gloriâ insignis, tri-
duanis jejuniis, carnis, per cicilia & cate-
nas, castigatione admirandus, sed imprimis
Mariani honoris studiosissimus, idolis dirutis
hujus imagines substituit; Dæmones ex ido-
lis populum dementantes fugavit; noctes
quandòque integras ante Deiparæ imaginem
prostratus vigilavit. *Nad. an. Cæl.* Sic speran-
da est bona dies.

S. Galle ora pro me, ut diu noctûque Ma-
riæ cultui assuescam, ut post vitæ hujus nocte,
ad beatæ æternitatis diem felix evigilem, illa
adjuvante, quæ aurora est, id est, aurea est ho-
ra beatæ æternitatis. O Sanctissima DEI,
& mea, Mater pretiosissima! ego N. in-
dignissimus filius tuus ex toto corde, omni-
bûsque tam corporis, quàm animæ viribus
centies millies, imò infinities te saluto: te
omni possibili omnium possibilium & actua-
lium creaturarum affectu amare, tibi usque
ad ultimum vitæ spiritum, quantum possibile
erit, &c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: Si nequeam ipse,
alium quempiam constituam, qui etiam nocte
hac loco mei Mariam deprecetur. Exemplo
Alphonſi I. Reg Lusitani.

Sicut Magnes ferrum attrahit, sic Beatissi-
ma Virgo dura corda ad Deum attrahat. S.
Birgitt. l. 3. revel. c. 32.

Quæstio: Nocte, an die majores à Deo B.V.
acceperit gratias?